

# **Novus Aesopus**

Baldo

[Prologus.]

UERSIBVS istud opus, cuius fuit auctor ESOPVS,  
BALDO, quod exegit rudis eius musa, coegit.  
Artis adhuc prisce quod fictum tempore disce,  
Simplicitate stili, nouitatis origine uili;  
Et licet arte foris nullius id esse decoris  
Ante uideretur nec ob hoc placuisse putetur,  
Vt tamen agnouit, quid agendum mystice promit  
Interiusque geri documenta simillima ueri,  
Traxit ab enormi sub forma carminis [h]orni,  
Plus blandimenti quia dant noua carmina menti;  
Quod licet esset ei graue pondus materiei,  
Qui pedibus senis strictisque cucurrit habenis  
Per tam dumosi nemoris loca tamque fragosi,  
Vis imitandi, rei iocus insitus et speciei  
Exhibuere tamen scribendi grande leuamen,  
[H]ac ut morosa prodesset et arte iocosa.  
[C]arminibus quisquis tangi dignaberis istis,  
Ne pociora petas quam que prior edidit aetas:  
Si qua tamen digne sumenda putaueris inde,  
Non fugia[n]t mentem scriptorem propter inertem!  
In quibus accures, quod inest ut rite figures,  
Cantus et in partes, quibus hoc bene congruit, aptes:  
Nec sermone rudi, nec uilis ymagine ludi  
Quominus utaris his versibus, ammonearis,  
Si quid in his cernis, quod opus sit habere modernis.

I. [De cane et umbra prede.]

ANXIVS in cellam natorum carnis offellam  
Dum canis ex more fluuium prope ferret in ore,  
Eius ut est umbra uisa maiore sub unda,  
Hanc post dimissam festinus anhelat ad ipsam,  
Dumque cupita petit, dederat quod sors sibi, demit,  
Morte cadens iusta carnis per inania frusta.  
[S]ic habuisse parum, quod habet, discatis auarum,  
Cui nichil usque satis fore constat in anteparatis:

Vnde fit, ut demens augendo peculia preceps,  
Omnibus amissis, pereat delusus ab ipsis.

## II. [De agricola, qui thesaurum inuenit.]

COTIBVS in duris fodiens rudis incola ruris,  
Cespitem sub lauri uas plenum repperit auri;  
Cuius erat uotum, soli sit ut hoc sibi totum.  
Dumque timet partem cuius dare, respuit artem  
Consiliumque uiri cuiuslibet inde requiri,  
Credulus unius per opem fore, quod sit alius.  
Eligit ipse tamen sibi, quos ad tale iuuamen  
Esse putat iustos, his gazis quos tot (h)onustos  
Dirigat uxori, ratus est ubi cuncta reponi.  
Quod sic dum credit, procul in sua quisque recedit,  
His opibus partis solitae sibi fraudibus artis,  
Moris ut est cautos fatui fore rebus adauctos.  
Nec minus ipse quidem manet ambiciosus ibidem,  
Denuo maius humus reputans quod det sibi munus;  
Sicque laborando, nichil inueniensque morando,  
Nocte domum tristis remeans, se sentit ab istis  
Verba per uxoris fructu caruisse laboris.  
Sic defraudari spes improba suevit auari,  
Cui cor inardescit, quo plus sibi copia crescit,  
Ydropis exemplo, qui plus sitit usque bibendo.  
Cui magis hoc aequum fuerat coniungere secum  
Participem notum quam soli perdere totum.

## III. [De fatuo, qui sapienciam acquirit.]

[V]IR fatuus quidam, sapienter ducere uitam  
Dum cupit atque parum petit addiscenda morarum  
Haec documenta sibi, doctoris ab ore periti  
Sumit, ut hec cordi studeat sex uerba reponi:  
"Istud et illud agas; huc, illuc quandoque uadas;  
Inferius, sursum, uaria uice, dirige cursum;  
In quibus ad plenum latet alta sciencia rerum".  
Hac breuitate more confisus in artis amore,  
Instat ad hoc solum, labiis memor ut sit eorum,  
Non ut rimetur, quod in his, quid agatur, habetur,  
Speque breuis cartae, quia sic confidit in arte,  
Nulli prudentum similem se iactat habendum.  
Quadam forte die meditantibus alta sophiae  
Sex sua uerba refert; his se simul et sua refert:  
In quibus hunc uere patuit rationis egere.

Hic patet intentis, quod opus sit inane legentis:  
Ni, quod in ore sonat, mens intus id omne reponat,  
Ne uelut hic dudum faciat de se fore ludum.

IV. [De sompnolento et fure.]

CLAM dum latro pedem cuiusdam ferret in edem,  
Surgit, ut exploret, quid fur temptare laboret,  
Ne quid in hac dampni pateretur fraude tyranni;  
Quem cito punisset, si forte quid inde tulisset.  
Haec exploranti, furi quoque multa minanti,  
Mole grauis sompni ceperunt membra resolui;  
Hocque soporato, compos redit in sua latro,  
Arte sua demptis, quaecumque fuere iacentis.  
Mane uir hic facto surgens, iam limine fracto,  
Flebilis et mestus dat inanes undique questus,  
Hisque dolet tagnis male sic sua perdita segnus.  
Legeris hec quisquis, uerbis monearis in istis,  
Vt uigili cura caueas, que sunt nocitura,  
Ne pateat predae locus usquam mentis in aede,  
Semper et insistas, ut ei uigilando resistas;  
Perque probos mores nocturnos pelle timores.  
Cuius enim cordis fuerit domus inscia sordis  
Integer et uitae qui se reget et sua rite,  
Nec mala cuiusquam meditando peregerit usquam,  
Non ope loricae nec egebit acumine siccae  
More nec hostili cuiusque iuuamine pili:  
Solo uirtutum quem constat robore tutum.

V. [De paupere et fure.]

MENBRA fouens lecto quidam sub paupere tecto,  
Cui nichil est plus quam cereris cadus et domus usquam,  
Prorsus adempturum quendam sibi talia furum  
Dum presentiret, surrexit, ut obuius iret.  
Sed, quia cognoscit, nichil hic quod perdere possit,  
Ad requiem tandem rediit securus eandem.  
Quo fur, captato pro uoto tempore grato,  
Dempsit pauxillum cereris, quod habebat, et illum,  
Veste superiecta, detexit et abstulit extra.  
Continuo surgens clamore nimisque perurgens,  
Multatum faede compellit cedere predae,  
Vique facit multa, sibi reddat ut omnia tulta;  
Moxque, suis letus sumptis, redit intro quietus,  
Nec uiolenter eum quis adit post tale tropheum.

Nunquam iustus ita spem ponat in hac sibi uita,  
Nec se uirtutum credat munimine tutum,  
Negligat ut contra uigilare nocencia monstra  
Insidiatoris hominis magis interioris:  
Cui ne quid possit contingere tale, quod obsit,  
Sit ratione pari catus et uigil hunc imitari.

VI. [De fure, qui radium lunae equitauit.]

DIVITIS ante fores uigilantes nocte latrones  
Semet adhortantur, huc prorsus ut ingrediantur.  
Quos id conari dum sensit et ista minari,  
Clam monuit talem per fraudem collateralem,  
Querat ut hic alte, tot opes qua repperit arte;  
Hisque requisitus, dedit haec responsa peritus:  
"More iuuentutis comes olim furta secutis,  
Per radium lunae tute, quasi tramite fune  
Qualibet a rima tecti ducebar ad ima;  
Quo radio sursum referebam denuo cursum,  
Diues et intactus tales plerumque per actus".  
Huius ouans dictis, temerarius unus in istis  
Tecta domus scandit, radioque foramina paadit,  
Cuique manu nisus, pronus ruit intus, relisus,  
Suppliciumque satis tantae dedit improbitatis.  
Hac ratione uides arti succumbere uires,  
Qui fueras tantae rationis nescius ante.

VII. [De fraudulento, qui sua fraude decipitur.]

BINI collegae parili duo dolia lege  
Distribuunt lentis, ratione sed impare mentis,  
Alter ut aequalis sua pars foret atque sodalis,  
Alter ut excedat solitaque cupidine ledat;  
Deque sua parte clam iecit in illius arte,  
Vasque suo textit uelamine sicque recessit,  
Rursus ut huc tandem uenientibus hic ad eandem  
Cercior accedat, socio pars altera cedat.  
Quo uir ut accessit simplex, dum talia nescit,  
Vas uidet addictum sibi ueste sodalis amictum;  
Quod factum digna quia credit et arte benigna,  
Cogitat, unde quidem par reddere possit eidem.  
Ergo suae testae detracta preside ueste,  
Textit amore pari uas inde sodalis auari;  
Quod dum nesciret, parat improbus, huc ut abiret,  
Speque sui signi breuior pars accidit illi.

Quisque tuis gaudes sociis pretendere fraudes,  
Id tibi contingat, quod ficta parabola signat!  
Impactus pici, uulgo solet utpote dici,  
Omne retorquetur, quodcumque dolare uidetur.

VIII. [De simia, que secare uoluit.]

STARET in arbusto dum simia more uetusto,  
Arte uidet serrae pro consuetudine terrae  
Grande procul scindi robur super ardua Pindi:  
Protinus affectat, dum tale quid inuida spectat;  
Cominus accessit, mox sector ut inde recessit,  
Incubuitque super temptatque, quod hic quoque nuper,  
Dumque sedendo secat lignum, quod forte patebat,  
Testiculos rima concluderat eius in ima.  
Quod cum nesciret, sectorque repente ueniret,  
Surgere conatur; sed rimula clausa moratur.  
Huius namque modi specie se nescia prodi,  
Sic inopinato perimi nec credula fato,  
Proicie[n]s extra cuneum, femur angit et exta,  
Liquerat inmissum quem truncum sector in ipsum.  
Cuius opus stultum rediens ne linquat inultum,  
Verbere cum uerbis super hanc his instat acerbis:  
"Dic, age: qua causa sic sunt tua uiscera clausa?  
Non est naturae, tibi sint ut talia curae".  
Tristis ad hec inquit: "Mea me demencia strinxit,  
Tale per inuentum dum facta relinquo parentum".  
Prouidus accuret sibi lector, ut ista figuret  
Officiumque sequi naturae, iuris et aequi;  
Sitque dehinc cure patrum sibi uiuere iure,  
Ne cupidus sector, hominumque sub infima uector,  
Intra scissuras solitas nos claudere curans,  
Callidus illudat, sub Tartara nosque retrudat  
Suppliciis dignis astrictos uindicis ignis,  
Quo male gestorum nos sero denique morum  
Penitet, et frustra, digressos lege uetusta.

IX. [De duobus ursis et rege eorum.]

GRATOS esse parum coram se rege ferarum  
Sunt duo conquesti nimis ursi, mutuo mesti.  
Cui sint ut cari, ceperunt talia fari,  
Maior, ut est moris, factus suadela minoris:  
"Cur non eniti uolumus famulamine miti,  
Simus ut huic grati, iubet ad quaecumque, parati?"

Quem minor hortatur, ne quid sibi tale loquatur:  
"Propria sectemur magis huic quam sic famulemur".  
Maior, ut ignauus, nequiquam talia suasus  
Instat, ut e cunctis, fuerant tunc que sibi, iunctis  
Equalis, librae sub pondere, pars sit utrique.  
Qua minor accepta, letus redit in sua septa,  
Integra seruando sua semper et amplificando.  
Maior, collegis ut par sit ad omnia regis,  
Quicquid habet census, dat eis sicut intimus eius,  
Plus aliis factus sibi consiliarius aptus.  
Ob quam rem miram gregis istius unus, in iram  
Actus, torquetur, quod sic nouus ursus ametur;  
Quem nimis astutum perhibent sic esse locutum:  
"Proximus est, o rex, homini magis austure sorex;  
Hunc tamen inuentum studet ocius esse peremptum.  
Accipitrem blando moderamine nutrit ouando  
Atque manu missum reuocat cito nutibus ipsum".  
Ceperat interea bos hac mugire platea.  
Qua nouitate soni prius hac regione leoni  
Prorsus inaudita, pelli timet arce potita.  
Ne formidandum sit ob hec sibi uel dubitandum,  
Admonet ursus herum tali sub ymagine rerum:  
"Vis metuenda parum, uox est ubi tanta minarum.  
Arbore suspensus uter olim, flamine tensus,  
Vt terreret aues, crepitus iactabat inanes.  
Hic quoque fit terror uulpi, dum nescit, et error;  
Quem pede dum tangit sollers et dentibus angit,  
Intus inanescit, uis illa tumoris ut exit".  
Cui non credenti regnoque sibique timenti,  
Vrso dante fidem, bos supplex ducitur idem.  
Cui tam sincere studuit per cuncta placere,  
Ne comes huic rursus foret iste miserrimus ursus,  
Quodque fuit peius, complexibus excidit eius.  
Victus ad extremum per tanta pericula rerum,  
Se doluit frustra liquisse domestica lustra,  
Denique certatim satagit sua commoda statim,  
Ad modicum factus par fratris et ipsius actus.  
[V]t fore discatis contenti iure paratis,  
Haec uos ursorum doceant figmenta duorum,  
Ne, quae sunt extra, faciant uos linquere uestra.

X. [De columba, mure, coruo, testudine et capreolo.]

SVMMA columbarum, licet in grege dux sit earum,  
Rite per antiquum murem sibi faecit amicum.  
Que uelut incaute legerent dum semina caute,  
Arte solo iactis cohibentur retibus artis;

Cumque laborarent, ut se simul inde leuarent,  
Antra petunt muris quodam sub cespite ruris.  
Quas ibi mus uolui miserans, parat inde resolui,  
Cassibus abrosis solito sibi more dolosis.  
Qua specie facti coruus testudoque capti,  
In supradicti sunt federe soricis icti.  
His simul unitis, datur huic id soluere litis:  
Censeat ut gnarus, quid largo distet auarus,  
Inter eos ortum, quod adhuc contingere portum  
Non poterat tutum, fuerat nec ante solutum.  
Hec raesponsa catus mus reddidit ille rogatus:  
"Horrea cuiusdam cum muribus ipse quibusdam  
Ingrediens quondam, uas plenum semine quoddam  
Cum sociis scandi, nec erat locus hic penetrandi;  
Pars igitur nostrum solito magis undique rostrum  
Inprimit et mandit multoque foramine pandit.  
Vas quoniam largi fuerat sine tegmine spargi,  
Non fuit his menti, sed ali de uase fluenti.  
Sic manet intactum prius in nichilumque redactum".  
Quorum capreolus, fugiendo per auia solus,  
Foedus init, subitusque sinit, mox rete subiuit;  
Cumque moras uinctus pateretur longius intus,  
Poenitet afflictum sic foedus id esse relictum.  
Mus tamen ille uetus, sociis succurrere suetus,  
Hunc uenatoris statuit dissoluere loris.  
Qui, dum peruerse raptus foret ante super se  
Dumque superbiret, quod cunctis forcior iret,  
Iam facile captus, tam pene repente subactus,  
Omne suum sane didicit fore robur inane.  
Hoc tibi commentum, lector, sit ut in monimentum:  
Sic adeo noli tibimet confidere soli,  
Cuilibet ipse pari contempseris ut sociari,  
Sed nec amicorum cuiquam tamen inferiorum;  
Nam quod neglectum solet et procul esse reiectum,  
Summam sepe satis uim continet utilitatis.

#### XI. [De bubonibus et coruis.]

IVNXIT eo toruos bubonibus unio corvos,  
Vt possit dici, stabiles iam sint quod amici;  
Sed, uelut est moris bubones noctis in horis  
Fortiter inpelli magis ad certamina belli,  
Arce suae sedis communis et ante quietis  
Turpiter hos pellunt, nidos et ab arbore uellunt.  
Sic grex coruorum superatus uiribus horum  
Ante suum regem peciit super his sibi legem.  
Mox percontatur rex, qualiter hos tueatur,



Presidio Martis uel spe cuiuslibet artis.  
Vnus ad hoc fatur, qui doctior esse putatur:  
"Hinc assentemur, quo non licet, ut minitemur.  
Palma datur quando magis assentamine blando;  
Nam, si luctemur, superari posse ueremur.  
Est in luctando fatum uariabile quando,  
Et gladius nunc hinc, aliquando seuit et illinc.  
Sepe fit, ut nostis, quod transfuga preda sit hostis.  
Si facimus pactum, nostrum decus est male fractum;  
Blandimenta precum uertunt in candida tetrum.  
His reor ulcisci facti discrimina prisci".  
Ipse dehinc coruus, leso quasi corpore prorsus,  
Squalidus et tristis, bubonibus incipit istis,  
Prostratus terrae, sua quaeque pudenda referre:  
"En miserandus ego, maciae confectus et aeuo!  
Quo michi pergendum dubito, uel quid sit agendum.  
Quis michi tecta dabit, defectaque membra iuuabit?"  
Cuius molliti bubones fame miti,  
Hunc secretorum socium fecere suorum,  
Crebroque ducebant, ubi nidificare uolebant.  
Cumque locus criptae nulli superabilis ipse  
Ante uideretur, uinci tamen arte docetur.  
Quod queat ut credi, facit hic, qui presidet edi,  
Pandit et id totum, soli quod erat sibi notum,  
Hocque docet signo, quid agatur ab hoste maligno:  
"Si fruticum fragmen uolucrum deduxerit agmen  
Vnguibus aut rostris, solus patet hic ubi postis,  
Moxque datis lignis aliis si subditur ignis,  
Hac cadet arte doli domus ista suique coloni."  
Credulus hic ales rediens docet ista sodales.  
Coruorum coetus, satis hoc hortamine letus,  
Ore ferens stramen caeuae breuis ante foramen.  
Qua simul inuenti fuerant sub nocte silenti,  
Vssit eos digne, succenso deforis igne,  
Indiciis horum, sic dedecus ultus auorum.  
His decet auditis, ut micus ire uelit  
Hac ope uirtutis, spes est ubi nulla salutis.  
Ne confidatis secreta, nec his retegatis,  
Cum quibus egistis pugnae discrimina tristes!

## XII. [De simia et testudinibus.]

SEDE sui regni iam simia corpore segni  
Pulsa uagabatur, querens ubi pauper alatur.  
Tandem, lustratis regionibus undique latis,  
Alta petit ficus, qua uictus habetur amicus.  
Qua uicina mari cupiens testudo cibari,

Quod cecidisset humi, sibimet studet anxia sumi.  
Sic sub amore pari statuunt hac sede morari,  
Vnanimis factae, dapis huius gaudia nactae.  
Quam traxisse moras longae regionis ad (h)oras  
Eius amica dolens, comitemque relinquere nolens,  
Mittit collegam, sibi quae se nunciet egram,  
Nec fore cuiusquam sibi spem medicaminis usquam,  
Idque referre monet, si cor sibi simia donet,  
Arte salutari sic se cito posse iuuari.  
Facta dehinc tristis conchis terroribus istis,  
Sedulitate precum rogat hanc deducere secum.  
Quam sic hortatur, hac fraudis et arte precatur:  
"O mi fida comes dulcisque per omnia fomes,  
Munere cuius ego iam longo tempore dego,  
Actenus his largis quas ficibus arbore spargis,  
Atque tuis micis tecum refouebar amicis!  
Haec iam sicca negat fructus, quos ferre solebat,  
Nullaque spes uitae regione sub hac fit utriusque.  
Ad loca nostra ueni, uictus ubi dantur ameni.  
Si uenies ergo, nostro gestabere tergo,  
Tutaque prorsus eris, dum sic suspensa ueheris".  
Credula promissis supra mare fertur ab ipsis;  
Cui procul a ripa loquitur testudo perita:  
"Vxor, amica, uetus multis iacet egra diebus;  
Cuius erit pesti cor, ut asserit, utile uestri:  
Quod si mittatur, languor procul inde fugatur".  
Huic tantae fraudi quid prouida dixerit, audi:  
"Non erat id mecum, dum sic eo per mare tecum;  
Alta super fici quod nuper ut inscia liqui;  
Tucius huc aequae si me reuehatis utraeque,  
Vos sequar absque mora, repetet cor ut interiora".  
Sic redit illa dolens, remanentibus his ibi solis.  
Quae percontantes, cur non comitetur amantes,  
Ceu condixerunt, delusas se doluerunt.

### XIII. [De uulpe, leone et asino.]

ERRANTEM per agrum uulpes derisit onagrū,  
Quem pro laude soni uesci dedit illa leoni;  
Qui sit ut illusus, referam lectoris ad usus.  
Nam cum sensisset, famis hic quod mole perisset,  
More suo ludens, retulit sibi talia prudens:  
"Si sine corde feram nec habentem lumina dedam,  
Dic, si uesceris, qua me cito dante frueris?"  
Cui cum dixisset se mandere, quaeque dedisset,  
Protinus inPELLI cor ad hoc male suasit aselli,  
Ipsius ut blanda prece currat ad oscula danda;

Digna repentinae fuit huic quod causa ruinae.  
Mox leo, consumpto iam pene cadauere cuncto,  
Dum cor habere nequit, aures et lumina querit,  
Subdola iam pridem uulpes que dempsit eidem.  
Talia querenti, nec se reperisse dolenti:  
"Non aliquem culpes", respondet subdola uulpes,  
"Non sic deceptus, nec tam foret ultro prouectus,  
Si supradictorum frueretur quolibet horum".  
Nouerit ille sibi solummodo talia scribi,  
Mente quidem captum quem constat ad utile factum;  
Quem si forte peti contingat ymagine leti,  
Si cor inanescat, aures oculusque patescat,  
Sub specie pacis ne corruat arte fugacis.

#### XIV. [De uulpe et leone.]

MONS erat ad pastus animalibus uber et aptus;  
Sed dominantis heri datur hunc uis tanta tueri,  
Prosit ut omnino generi nichil inde ferino.  
His obstante bonis dicione metuque leonis,  
Quo terrore ferae metuentes prorsus egere  
Perpetuoque pati uictus sibi dampna negati,  
Quaque die dandam statuunt sibi mutuo quandam  
Tocius esse gregis pro tanti numine regis.  
Forte die quadam uulpes ait: "En ego uadam;  
Idque licet nolim, quoniam sors obtulit olim,  
Protinus inpendam me morsibus eius edendam".  
Que dum sic iret, quo pacto fallere quiret,  
Hunc meditatur herum solita uertigine rerum,  
Huicque propinquando fert talia fame blando:  
"Huc ego mittebar, ueluti pro sorte uidebar  
Iussa, ferens mecum censum, dare quem fuit aequum,  
Scilicet agnellum pinguem satis atque tenellum;  
Quem leo, predo ferox, rapuit michi, maximus heros,  
Meque renitentem, sibi nec parere uolentem  
Non sine tormento laniauit dente cruento;  
Sed uulpina caro gustu quia fetet amaro,  
Hanc post uindictam me deserit utpote uictam".  
Quod ratus ulcisci leo dedecus, haec ait ipsi:  
"Dic, rogo, si nosti, locus est ubi cercior hosti".  
"Ecce lacuna uetus", uulpes ait, "est ubi suetus,  
Hunc ubi predonem poteris punire leonem".  
Cumque propinquaret lacui, quo dicta probaret,  
Hunc putat introrsum, sua dum nat ymago deorsum.  
Inde nec impune petit impiger ima lacunae,  
Sed ratione perit, dum rem sub ymagine querit.  
Sic euaserunt animalia, quod timuerunt,

Vulpis et hoc sensu sunt omnia libera censu.  
Ad dominantis (h)onus ad danda tributaque pronus  
Amodo quisquis eris, quid agas, hac arte doceris;  
Nam si quid molis pateris, quod pendere nolis,  
Caucius est astu quam te defendere fastu.

XV. [De rege et duobus pulicibus.]

CESARIS in lecto, niueo uelamine tecto,  
Sexquipedem letum perhibent requiescere suetum,  
Sanguine cuius ali quem mos erat absque sodali.  
Qui tantum uiuum metuens contingere diuum,  
Membra iacentis heri lingeat acumine leni.  
Gaudia tanta pulex fore maxima commoda ducens,  
Postulat, temporum socius sit ut ipse bonorum.  
"Condicione pari potes", hec ait, "ipse morari."  
Qua sibi lege data, fruitur stacione rogata.  
Intrat nocte thorum posthac rex nescius horum;  
Lenis ut inprimis uenis sopor influit imis,  
Inde pulex mordax, magis irrequietus et audax,  
Corpus obit rostro, tectum regale sub ostro,  
Tamque frequens seuit, dum somnum prorsus ademit.  
Expulit a tergo rex pallia protinus ergo;  
His procul excussis, astantibus ilico iussis,  
Retro dedit saltum nouus incola, lapsus in altum;  
Est tamen inuentus pedo, pro consorte peremptus.  
Sic tandem letus rex et pro uelle quietus  
Somnum rursus init, procul hinc ferus hostis ut iuit.  
Discat ad hoc mitis cupidum contempnere litis,  
Aequus et est, si quis caueat, sicut hospes iniquis,  
Ne simul utcumque perimi contingat utrumque  
Suppliciis dignis pro factis forte malignis.

XVI. [De coruo et angue.]

ANGVIS erat suetus corui consumere foetus;  
A quo se dampno nullo cohibebat in anno.  
Quod dum tale pati grauis esset sarcina patri,  
Luminibus tandem ratus est priuaret ut anguem,  
Vel dum dormiret, aliter si forte nequiret.  
Cuius uir quidam tantam compescuit iram,  
Dum presensisset, temptare quod id uoluisset;  
Sicque dehortatur, ne tale quid aggrediatur:  
"Quod reputas, durum nimis est et inane futurum,  
Ne paciarius idem, quod auis temeraria pridem,

Cuius ad exemplum sibi precipit esse cauendum.  
Victus ad extremum maciae segnisque per eum  
Scorpio, capturae spe deficiente future,  
Cogitat, ut saltem uiuat per quamlibet artem.  
Continuos pisces, ut alatur, fallere gliscens,  
His, sicut antique licet, insidiatur unique.  
Vt malefactorum se poenituisse priorum  
Proderet, astutus sic est ex more locutus:  
"Tempus adest dici, quod uobis prosit, amici.  
Cras piscatores per cunctas has regiones,  
Se uos capturos minitantes, constat ituros;  
Nec uestrum rimis sic quisque latebit in imis,  
Vt piscatorum laqueos euadat eorum.  
Vt tuti sitis mecumque uenire uelitis,  
In terram tutam facili uos tramite ducam;  
Vosque meo collo duo nunc, simul et duo, tollo."  
Quos ita ducendo, sic semper et hos comedendo,  
Deliciis magnis hac uixit fraude tot annis.  
Tum uolucrum quedam sectari nescia predam,  
Vnguibus et pennis ac toto corpore segnis,  
Sic se sustolli prece flagitat inuida molli.  
Quam patulis chelis precibus tulit eius anhelis;  
Cumque lacum quendam, quo se putat esse ferendam,  
Tanti latronis procul aspexisset in (h)oris,  
Ossaque cum spinis quam plura iacere sub imis,  
Se metuente mori, cum sit locus ipse timori,  
Incumbens hosti, laniabat acumine rostri;  
Mox sed ab obsceno cadit ipsius icta ueneno:  
Hostis it illesus, uolucer perit ipse comesus.  
Tale quod exemplum tibi, corue, sit ut documentum,  
Quo punire modo ualeas tua pignora, prodo:  
Quemlibet ornatum uideas, ubicumque paratum,  
Qui tamen ore geri bene possit et usque uideri,  
Prouidus assumens planumque per aera ducens,  
Ad loca iactabis serpentis et inde uolabis".  
Quod cum fecisset, post hunc speculator et isset,  
Hoc ornamento sumpto, redit, angue perempto,  
Suauiter antiquum coruum sic ultus amicum.  
[Qu]isquis erit lector, uitae sit ut amodo rector,  
Exteriora legat, sua semper et intima querat  
Et, quacumque uia ualet, instet in allegoria,  
Quae uinci monstrat leuius racione, quod obstat,  
Immoderatarum quam garrulitate minarum.

XVII. [De uiro et uase olei.]

VXOR ab antiquo fnit infoecunda marito.

Mesticiam cuius cupiens lenire uir huius,  
His blandimentis solatur tristia mentis:  
"Cur sic tristaris lamentis, uxor, amaris?  
Pulchrae prolis eris satis amodo munere felix".  
Pro nichilo ducens hec coniux talia prudens,  
His uerbis plane, quod ait uir, monstrat inane:  
"Rebus inops quidam, fatuumque plus tibi dicam,  
Vas olei plenum, quod longum retro per eum  
Legerat orando, loca per diuersa uagando,  
Fune ligans arto, tecti suspendit in alto,  
Dum prestolatur tempus, quo pluris ematur,  
Quo locupletari se sperat et arte beari.  
Talia dum captat, hec stultus inania iactat:  
"Ecce potens factus, fuero dum talia nactus!  
Vinciar uxori, quantum queo, nobiliori;  
Tunc sobolem gignam, se meque per omnia dignam,  
Cuius opus morum genus omne preibit auorum.  
Cui nisi tot uitae fuerint insignia rite,  
Fustis hic absque mora feriet caput eius et ora".  
Quod dum narraret, dextramque minando leuaret,  
Vt percussisset puerum, quasi presto fuisset,  
Vas in predictum manus inscia dirigit ictum,  
Seruatumque sibi uas ilico fregit oliui,  
Sic inopinatum deflens miserabile fatum:  
"Heu! quid inops egi? quo memet opesque redege?  
Quos male tractaui, dum nescius ista putauit,  
Stulticiaeque minae sunt huius causa ruinae".  
Quod uir ut audiuit, surrexit et obuius iuit,  
Verberet ut sponsam fari sibi taliter ausam.  
Que mox hunc digne percussit uerbere linguae:  
"Haec tua te multum monstrat presumptio stultum.  
Ante cecidisti, qui me tam uulnere tristi,  
Quam uestigares, quod in hoc tibi, stulte, notares.  
En pacior, muri domini quod tempore duri  
Contigit insonti, perimit quem uerbere conti.  
Cuius in ede nigrum perhibent habitasse chelidrum,  
Indidit, ut credo, cui nomen et ipsa nigredo;  
Scandere qui suerat puerum, quem mater alebat.  
Quo mus inuento, superastat dente cruento;  
Protinus exanguis perit eius morsibus anguis  
Filioli cedem genitor putat, intrat ut edem,  
Morte ratus dignum per sanguinis hunc fore signum;  
Menbraque frustatim iacit extra limina statim.  
Sed postquam sciuit, soboles quoniam sua uiuit,  
Indoluit prorsus, facinus quod id esset adorsus.  
Tandem correptus rationibus his uir ineptus,  
Sensit in exemplis mulieris tam sapientis,  
Insciciae quantae tempus censere sit ante,  
Vanaque sectari, sectandaque non meditari,

Ac nisi post culpam de quoquam sumere mulctam.

XVIII. [De mure et gatto.]

QVA disiungatur uel qua ratione iu[n]gatur  
Fedus amicorum, rex quendam phylosophorum  
Consulit, ut gnarum rerum specialiter harum.  
Pectore prudenti cui rettulit ista petenti:  
Sunt contra morem, simulant qui pacis amorem,  
Rebus cepta malis cum sit dilectio talis.  
Mus colitur gatto, sed ad hoc, ut tempore capto  
Hac specie pacis sit preda cibusque rapacis.  
Cuius dum fauces artaret callidus auceps  
Insitus et reti foret in discrimine leti,  
Accedens iuxta, mus temptat soluere frustra;  
Nam mustela retro stat buboque lumine tetro,  
Quos constat uere mures ex more timere.  
Gattus, ut antiquos muris uidet hos inimicos  
Eius ad interitum iuxta concurrere ritum,  
Supplex implorat, ueniens ut recia rodant:  
Si foret exclusus, fieret sibi maximus usus.  
Famine quem blando permulcet talia fando:  
"Que nocitura times, ut, amice, pericula uites?  
Ore meo ducam te leniter, utpote ludam,  
Nec paciare mali quicquam gestamine tali.  
Id nam spectantes, raptores te prope stantes,  
Vt iam desperent, dum sic portabere, cedent".  
Quod mus dum credit, laqueos ex more peredit,  
Liber et exiuit mox gattus, ut ante petiuit,  
Impaciensque more murem complectitur ore.  
Qui cum clamaret, grauiter quia se cruciaret,  
Respondit gattus, id agat quod amore coactus  
Iuxta promissum; se ledere denegat ipsum,  
Excusans tali sese ratione sodali:  
"Quid me causaris? de dentibus ipse queraris,  
A quibus artari te constat et excruciar.  
Numquid habent dentes aures oculosque patentes?  
Aure trahant questus, quos iactas pectore mestus.  
Dentibus ecce feris iam protinus excrucieris  
Inque meum uentrem duceris, dente carentem!"  
Talia dicendo, miserum suffocat edendo.  
Arte doli tanti perit hic confisus amanti.  
Spernite, lectores, tales simulantis amores,  
Pollicitis oris, quamuis uideantur amoris,  
Nec confidatis, ne forte per hoc pereatis.  
Verba quidem mellis sunt plena, sed intima fellis,  
In quibus est nusquam fidei spes certa quibusquam;

His qui confidit, mus dictus ut ante, peribit.

XIX. [De uiro, dracone et simia.]

VT cesset queri, melius quid ubique uideri  
Viuentum possit, peiusque quid omnibus obsit,  
Fabula philosophi liquido manifestat Esopi.  
In qua monstratur, homo sepe quod inueniatur  
Deterior brutis, proprie magis atque salutis  
Inmemor, auctoris curaeque fuisse minoris;  
Idque docet uerum ficta sub ymagine rerum.  
Per nemorum sentes draco, simia, uir fugientes,  
Ictu fortunae cecidere sub ima lacunae.  
Quos ubi uenator, loca tunc secus ipsa uiator,  
Forte sub inmundo stratos uidet esse profundo,  
Tantae molis onus sursum leuat ilico pronus,  
Incolumes extra deducens remige dextra.  
Protinus emersi, sunt in sua quique reuersi.  
Vt nemus intret idem, posthac contingit eidem  
Cum canibus rursus procul indagantibus ursum.  
Cui spe uenanti, famis anxietate uaganti,  
Mel tulit inuentum, quod dulce sit huic alimentum,  
Pro benefactorum uice simia preteritorum;  
Duxit et ore draco gemmis auroque meraco  
Ornatum sertum, sibi regis in arce repertum.  
Quod uir ut hic dignus sumpsit memorabile pignus,  
Indicat huic fabro, puteo quem traxit ab atro,  
Namque ferebatur, catus inde quod hic habe[b]atur.  
Cuius amore pari se postulat arte leuari.  
Nam, quoniam prisca facti putat hunc reminisci  
Et meminit, quantae fidei sibi per nemus ante  
In sua uota fere, quas iuuerat, ultro fuere,  
Auxiliatorem sibi credidit hunc meliorem;  
Cui memorabat, uti fuit eius presto saluti.  
Quo faber inspecto regisque per atria uecto,  
Asserit obnix, diadema quod abstulit ipse.  
Cuius rex uerbis, furiis accensus, acerbis  
Iussit, ut est moris, furem concidere loris;  
Cumque diu cesus sic esset et undique lesus,  
Se petit audiri post facti uerbera diri.  
Narrat et exsanguis, sibi qualiter id tulit anguis,  
Tocius atque rei seriem nomenque diei,  
Quem stupet inmiti sibi tam nunc mente reniti,  
Et dolet infecti furti se crimine plecti.  
Cuius onus colli dissoluunt hac precae molli.  
Quem rex, ceu norat meruisse, decenter honorat,  
Aurificem dandum precepit et ad cruciandum,



Vt falsi testis det penas pro male gestis.  
Quisquis enim fodit foueam, quem subdolus odit,  
Atque repentinam parat huic inferre ruinam,  
Iuxta psalmistam foueam prius incidit istam,  
Per quam punitum constat scelus ante cupitum.

XX. [De fure in testimonium arborem inuocante.]

CVM duo uicini foderent secus arua Ticini,  
His auri plenum casus patefaecit aenum.  
Qui minor est horum, nituit spectamine morum;  
Alter ad omne scelus fraudis fore fertur anhelus.  
Hic reputans secum, collegam fallat at aequum.  
Vota sui cordis tegit hoc sub tegmine fraudis:  
"Infodiamus humi noti sub cespite dumii,  
Quicquid fortuna tribuente recepimus una".  
Mox id ut utrisque placuit, redit in sua quisque.  
Callidus, huc docte ueniens ea tollere nocte,  
Gesserat ex toto, socio procul inde remoto.  
Mane dehinc facto, sic secum tempore pacto  
Mitis adhortatur, communiter huc ut eatur.  
Quo dum uenissent, id munus ut inde tulissent,  
Vndique lustrando, telluris et ima cauando,  
Se male deceptos deflent, nichil intus adeptos;  
Quique fuit tantae fraudis sibi conscius ante  
Inuidieque neuo primo maculatus ab aeuo,  
Inposuit fratri furti scelus omne patrati,  
Quodque sibi prorsus hic nocte tulisse sit ausus.  
Cumque repugnaret, sub iudice seque rogaret  
Leniter audiri, scelus hoc et utrimque requiri,  
Maior eum natu, proprio cogente reatu,  
Arguit indigne sceleris fraudisque malignae.  
Cui sic respondit, mox talia censor ut audit:  
"Dic michi, si testis sit quislibet his male gestis".  
Ille uir haud aequus aurique cupidine cecus:  
"Haec" ait, "arbor erit testis, qui talia querit,  
Tegmine sub cuius uas auri teximus huius.  
Huc proficiscamur, si uis, ut id experiamur".  
Huius enim rixae fuerat quia prescius ipse,  
Arbor et introrsum summo tenus usque deorsum  
Tota putrescebat medioque foramen habebat,  
Eius in interna concluderat ante cauerna,  
Queque rogaretur, qui falso testificetur.  
Huc ad conflictum properant, erat utpote dictum.  
Hac ope munitus, hac semper et arte potitus,  
Perfidus ut primum uenit arboris huius ad imum,  
Dissimulando rogat, scelus arbor ut hoc sibi prodatur.

His puer inclusus perhibetur uocibus usus:  
"Aeris hic inuenti socius tibi nocte silenti  
Improbis huc uenit, clam prorsus et illud ademit".  
His ait auditis mentis uir ad omnia mitis:  
"Crimen ut hoc fraudis pateat, quod taliter audis,  
Arbiter, obiectum michi fac, quod cogito, rectum:  
Hoc sit ut arbustum flammis ultricibus ustum".  
Quod cum iussisset flammam circumque tulisset:  
"Quis" ait, "iste furor? pater, huc ades! intus aduror".  
Mox pater et natus, censore iubente, crematus  
Iure dat has penas, statuit quia sic alienas.  
Sic qui uicinum sibi quemlibet aut peregrinum  
Ledere conatur, ius contra fasque minatur,  
Se grauiore peti discat discrimine leti,  
Vt uice, qua mensus fuerat, sit et ipse remensus.

XXI. [De lepore, gatto et pardo.]

FORTE specum quandam lepus olim nactus amandam,  
Vespere iam facto, subit hanc procul hospite gatto.  
Quo solitum iuxta repetente domestica lustra,  
Ante sui postis stat limen, ut obruat hostis,  
Nec parcens irae uetat hunc sua tecta subire.  
Sic altercantes, sibi sepe diuque minantes,  
Constituere queri sub pardo, iudice ueri,  
Cuius censurae statuunt se subdere iure,  
His utriusque minis stabilis quia mutuo finis  
Nullus habebatur, requies nec certa dabatur.  
Legis enim rectae fuit eius uita senectae;  
Et licet hoc pardus sit tempore corpore tardus,  
Calliditate uiget nec mentis acumine friget.  
Vt ueniunt, cuncta referunt, lis unde sit orta.  
Quos hic affatur, dum sic censere rogatur:  
"Querite censorem, quem constat ad hoc meliorem;  
Namque per etatem quemquam non iudico fratrem;  
Factus et antique monachus pro crimine uitae,  
Carnes detestor, foliis et gramine uescor;  
Vsque sub occasum solis nichil intrat omasum.  
Crede michi, tantum comedo, quod sit sacrosanctum,  
Ac michi dicendi datur hora modusque tacendi.  
Luminis effectus minuit michi longa senectus,  
Cui solet appendi uictus sub tempus edendi;  
Meque potestatis propriae non esse sciatis,  
Sed dominantis heri sub iure iugoque teneri".  
Tunc lepus et gattus: "Quia sic", ait, "est tuus actus,  
Venimus huc ad te, liti modus hinc sit ut apte".  
Ille suis tegnis non quemquam fallere segnis,

Indoluisse datur super his, pius ut uideatur,  
Instat et incautis uerbis ad talia comptis;  
Intus enim pungunt cum uerba, forinsecus unguunt:  
"Cernitis, ut dixi, iam iam mea membra fatisci;  
Huius et, ut scitis, nimis impar sum modo litis.  
To[r]tus et obtusus stat nostri corporis usus;  
Sensibus utatur qui talibus, ille petatur:  
Demus in amplexus uestros tamen ante recessus,  
Nosque salutemus et ad oscula danda paremus.  
Sicque ualedicto, me protinus ite relicto!"  
Mox amplexantes semet, sed et oscula dantes,  
Pacis in hoc signo perierunt dente maligno,  
Stulticiaeque ferunt penas, quas tunc meruerunt.  
Cognita stultorum post talia facta duorum,  
Cui non est curae, sit in his uis quanta figurae,  
Se quoque seduci sciat hac sub ymagine fuci,  
Condicione pari dignus quandoque necari.

XXII. [De camelo, coruo, lupo, ursa et leone.]

PRINCIPIS ignari nimium camelus auari  
Ferre uerebatur sibi ius graue, qui dominatur,  
Spe breuiore boni cupiens seruire leoni  
Inferioris heri quam comptus honore uideri.  
Mente quidem uoluit dum talia, debita soluit  
Presidis antiqui sibi iuris et eius iniqui.  
Cuius inane decus reputans sibi transfuga cecus,  
Sub ducis electi statuit moderamine necti,  
Imperiumque pati magis eius ad omnia grati.  
Ad quem captandum leo se pro tempore blandum  
Finxit, ut est moris, ubi spes rudis extat amoris;  
Cui dedit, ut forti, propriae superesse cohorti,  
Eius et ipse gregis sit censor munere regis.  
Hic tantus princeps senio morboque deinceps  
Fertur eo fractus febriumque rigore coactus,  
Ut solitae predae studio non surgat ab ede,  
Ne quid fomenti valeat dare cuique clienti.  
Dumque fame, siti coruus, lupo, ursa, ministri  
Eius, tunc aequae premerentur nocte dieque,  
Hoc ineunt foedus, fallatur ut iste camelus;  
Hoc qui fecisset, iurant dare, quaeque petisset.  
Coruus, ut est moris fore gutturis improbioris,  
Sic parat ac tutum pecus hoc deludere brutum:  
"En iacet egrotus paruo leo tempore notus,  
Cuius, ut ipse uides, desunt ad forciam uires!  
Pulcher es et gnarus, membris et origine clarus:  
Dignus es et fortis caput huius habere cohortis.

Quo duce cognoscit mox, qualiter hic fore possit.  
En" ait, "audisti, domino quid contigit isti,  
Utque sit ad regni moderamina corpore segni,  
Viribus effetis sibi prorsus ad omnia suetis.  
Huc indefessus confestim dirige gressus;  
Post quem regnabis, si fortiter hunc superabis.  
Talia uelle pati tecum sumus ire parati,  
Teque iuuaturi super hec prius et ruituri,  
Si demum nostri dominaberis, utpote nosti,  
Collaque tam lenis domini subdemus habenis".  
Credulus huic fraudi reputat sibi quod fore laudi,  
In spem regnandi ductus tam crimine grandi.  
Eius ab ore perit, quem sic male perdere querit,  
Tresque supradicti saciantur sanguine uicti.  
Mos est coruorum factis gaudere luporum;  
Regnat ut ante leo, cadit eius et iste tropheo.  
Stultus ad hoc discat, ne sic indebita gliscat,  
Neue suo iuri diffidat amore futuri,  
Sed propriae sortis stet semper munere fortis;  
Namque uetustatem qui spreuerit ob nouitatem,  
Alterius zeli uice debet obire cameli.

XXIII. [De ariete canem simulante.]

CVSTOS non uilis canis olim regis ouilis  
Id fore securum faciebat ab agmine furum,  
Nec metuisse minas noctesque diesque lupinas.  
Quo mox defuncto, grauis est dolor in grege cuncto;  
Nam lupus, hostis atrox, nullo prohibente, per agros  
Inde solebat edax, quas uellet, ducere predas.  
Cuius ubique minis grex territus atque rapinis  
Cogitat, obsisti ualeat quibus artibus isti.  
Hisque simul mixtis, casus formidine tristis,  
Dum dubitaretur, super hoc quid ab his ageretur,  
Talia uerba refert aries, qui se magis effert:  
"Cura sit incidi tutoris cornua fidi,  
Me quoque pelle canis, procul hinc qui fetet inanis,  
Circumquaque tegi: uice sic fruar inde catelli".  
Quo sic impleto, rediit lupus ordine sueto  
Temptat et illesus, quid ut hinc sibi tollat ad esus.  
Cuius conatus cohibens canis hic simulatus,  
Impiger accessit uiolentus eumque laccessit,  
Captus ut hac larua fugitando coinquinet arua;  
Idque ter aggressus, redivit irritus in sua fessus,  
Atque ter in mundo se stercore foedat eundo.  
Cum properaret item sibi cum cane sumere litem,  
Huius in occursum canis euolat utpote rursus.

Qui sic currentes per acutos undique sentes,  
Se male depectunt, iter alterutrumque reflectunt.  
Sic canis inbellis spoliatur tegmine pellis.  
Dedecus illatum, longe famis et cruciatum  
Vindicat iratus lupo, est cui talia fatus:  
"Cur tociens tristi formidine me repulisti?"  
"Non ob terrorem, sed ludi propter amorem  
Hoc" ait, "est factum, quod te sic reris abactum".  
"Esse fugam foedam ter" ait, "ludibria credam;  
Amodo ne fallas, tua memet ut hoc modo Pallas,  
Quemquam maiorem, parilem uelut inferiorem,  
Carnem tam uescam dabis esurientis in escam".  
Sic simulatores uariant cum tempore mores.  
Menti sinceræ nequeunt eo usque nocere,  
Quin ad momentum sit eis opus illud ademptum;  
Et qua crassantur, qua fraudis et arte minantur,  
Hac hos non mire contingit iure perire.

#### XXIV. [De uulpe et lupo.]

QVANDO per ima freti solito uulpecula reti  
Aucta solebat ali captu sepissime tali.  
Quam lupo affatur, dum piscibus his epulatur:  
"Pars sit ieiuno de tot michi, pisce uel uno,  
Dulcis amica, precor, quos sic piscare per aequor".  
"Dedecus hoc absit", uulpes ait, "ut tibi pars sit,  
Piscibus exesis, ac his iam caumate lesis,  
Cum potes arte pari, tibi me monstrante, lucrari.  
Hoc modo maiores capies satis ac meliores,  
Si consulta uelis tibi credere iure fidelis:  
Alueolum caudae tibi, si placet, hic sine fraude  
Hac uice subnectam, qua constat me modo uectam;  
Ad libitum pisces capies, si talia disces".  
Quod cum fecisset, sic nexus ouansque preisset,  
Vas id paulatim saxis replet emula statim,  
Sicque tegit limo, prope iam maris ut sit in imo.  
Leta dehinc uillas partesque perambulat illas,  
Quas multis annis hedis uacuarat et agnis  
Ille ferox predo magnusque frequensque comedo.  
Qua moniti doni spe circumquaerit coloni,  
Talia uisuri, gaudent decedere ruri,  
Fustibus et tignis raptis, ticionibus ignis,  
Vltio predonis foret illius ut regionis,  
Tempore cum nacto ualeant illudere capto.  
Iamque sibi fracta cauda per talia facta,  
Effugit hanc poenam, cuperet dum plus alienam,  
Inuentisque dolis sub egri tecta leonis,

Quem febrium pestis dolor excruciat in extis,  
Vimque sui morbi cuncto patefecerat orbi,  
Indicat huic crebro, quid prosit et ocius egro:  
"Tergone si uulpis corpus circumdare uultis,  
Viribus ablatis redigi sic posse sciatis".  
Dum sic audiret rata uulpes, hoc ut adiret,  
Sorde uolutabri se puluere sparsit et agri:  
"Audio me queri, dicor quia pelle mederi;  
Foetida sed pellis; hanc si fortasse reuellis,  
Fomes erit pestis foris et dolor acrior extis.  
At si pelle lupi, qui subiacet huic modo rupi,  
Cauda priuati, medicaminis arte probati,  
Vndique menbra teges, mox sano corpore deges;  
Cui caput atque pedes cum pelle relinquere debes  
Et uires priscas reparandas sic fore discas".  
Quod uulpes monstrum dum sic uidet ire deorsum:  
"Sic cyrothecatus" ait, "ambulet et pileatus!  
Ad poenam talem uult cogere quisque sodalem.  
Sic eat et mestus per frigora, nudus, et estus,  
Vermibus esca datus sic semper ad hos cruciatus".

XXV. [De ueruecibus et coco regis.]

Agmina ueruecum communi foedere secum  
Viribus obniti statuerunt hostis iniqui,  
Clam uel forte palam si tantam lederet alam.  
Cuius mane gregis geminos ad prandia regis  
Ac totidem caenae cocus aufert ui sine paenae;  
Deque prius mille gregis huius id egerat ille.  
Cumque requisissent, se foederis ut meminissent,  
Presidioque pari socios par esse iuuari,  
His respondetur, quod eis nichil inde nocetur,  
Esse per hunc ritum nec eorum quemque petitum.  
Taliter obliti sibi hosti uelle reniti,  
Speque sub hac tuti, male consulere saluti;  
Regis enim mensae solito dedit hos cocus ense  
Binos uel trinos nulloque nocente quaternos.  
Ad minimam partem talem uenere per artem,  
Quique remanserunt, agerent quid, ab his didicerunt;  
Namque prius pactum reolentes tam male fractum,  
Condicione pari cuiquam timuere iugari,  
Tuta fides ueri cum nusquam possit haberi,  
In iam promissis etiam iurantibus ipsis,  
Atque supradicti tamen hii periere relictis,  
Nam quia cesserunt a foedere, quod pepigerunt,  
Nec sociae morti cogerunt pectore forti.  
Vindicis ista pati meruerunt premia fati,

Iure figurantes, deceat quod semet amantes  
Quamlibet ad sortem mentem componere fortem.

XXVI. [De cane et lupo.]

FERTUR ouile macer canis, olim uiribus acer,  
Quoddam tutari iussu senioris auari.  
Qui plus latrando quam morsu uulnera dando,  
Omne, quod obstabat gregibus, procul inde fugabat.  
Sed quia, seu dixi, macies grauis inminet ipsi,  
Hostis in aduentus occurrere sic macilentus  
Mente nequit prompta, nec quemquam laedere contra.  
De grege sic multi periire frequenter inulti.  
Mox ut id ignaro domino patet eius auaro,  
Plus dedit huic uictus, sit ut acrior hostis in ictus.  
Quem lupo ut cernit, quod sic sua numina spernit,  
Ac tam uelocem, solito magis atque ferocem,  
Conuenit hunc blande: "Quid id est, dic, frater amande,  
Quod sic pinguescis, certamen et ultra capescis?  
Quod uideare satur, fateor, per me quod agatur.  
Nunc mea, non ut hebes, benefacta rependere debes:  
Quodlibet ergo pecus michi fer, retributor ut aequus".  
"Nil" ait, "expectes me ferre, quod hinc modo uectes,  
Cum dape non uili, studio saciatus herili,  
Peruigili cura seruem pecus ipsaque rura.  
Sed ne factorum puter inmemor esse tuorum,  
Presidio celeri scio me tibi posse mederi:  
Hic prope namque penum quoddam patet, undique plenum,  
Huc proficiscaris, dapibus celer his ut alaris".  
Quo lupo inuectus et salsa carne reffectus,  
Quicquid inest, ambit, telluris et humida lambit.  
Dumque, quid hauriret siciens, ibi nil reperiret,  
Eius erat potus magis olim quam sibi notus.  
Anxius impletur, uini satis hic quod habetur;  
Utque die fausto letus, quo clamat, hausto  
Omnimodisque iocis leuat ebrius organa uocis,  
Se quoque more Getae fert tota per atria lete;  
Perque suos gestus eo usque fit ipse molestus,  
Dum famuli tecti, cum fustibus ultro profecti,  
Crura pedesque ferae canibus conuulsa dedere.  
Quem sat iure datum reor illis ad cruciatum,  
Qui canis infesti sibi semper et ore molesti  
Credidit adhortatus per falsae uocis hyatus.  
Nulla fides hosti tibi sit, qui talia nosti,  
Prorsus et hostilis tibi sit persuasio uilis,  
Fraude necis dirae ne sic uideare perire!

XXVII. [De uiro, coniuge et mediatrice.]

UIR, ratus uxorem quondam temerasse pudorem,  
Alloquitur plane uocis simulamine uanae:  
"Caenam sumpturus, procul hinc satis, uxor, iturus,  
Non mea tecta petam, nec in hac te nocte quietam".  
Vocibus his extra respondet talia mesta:  
"Qua requie fungar, solita uice ni tibi iungar?"  
Quam uir adhortatur, comes ut sibi fida petatur,  
Per quam segura pociatur nocte futura.  
Mox mediatrici precepit, ut eius amici  
Ianua pulsetur, preparare nec ipse moretur.  
Adueniensque cito, metuens ait: "Ipsa preito;  
Cerue, quod introrsum sursumque sit atque deorsum".  
Intrat ut hec tectum, nexam uidet hanc prope lectum  
Coniugis, herentem, flagris grauiterque dolentem.  
His stupefacta flagris rogat hec, quod sit mediatrix,  
Agnouitque citi redeuntis nocte mariti  
Inmemorisque mero, biberat quod uespere sero,  
Nexibus astrictam, uirgis tam turpiter ictam.  
Sed cum nouisset foris esse, quod ante petisset,  
Per solitum morem flagrat, ut petat eius amorem.  
Cui dum nulla patet uia, qua scelus anxia patret,  
Se caput ad lecti rogat hanc permittere necti,  
Cautaque mutiret nulli, dum mecha rediret.  
Cuius nexa uice stetit hec ibi pro meretrice.  
Illa sub amplexus, resolutos post sibi nexus,  
Se tulit illicitos, inhianter utrisque petitos.  
Qua nubente foris, gemitus dat uincta doloris;  
Sicque uir iratus uinique sapore grauatus  
Tercio sectatur, quid sit sibi uel quid agatur;  
Verbaque nulla dabat, quia sic latuisse putabat.  
Quam super inuectus furiosus hic et uir ineptus,  
Sumens cultellum, secat huic cum nare labellum;  
Inde petit stratum, sic se putat ut saciatum.  
Mecha uoluptati satis ut sibi faecit amati,  
Intrat nocte lares, flens truncas tam male nares;  
Moxque rei gestae dedit ut solatia mestae,  
Vincula confregit citiusque redire coegit,  
Se faciente quidem necti ceu nuper ibidem.  
Cumque sub aurora uir surgens cerneret (h)ora  
Coniugis integre, quam lesam credidit egre,  
Se putat, ut stultus, quod Bachi mole sepultus  
Tale quid egisset, per sompnia uimque tulisset.  
Sic uictus cessit, sic crimen adultera texit.  
Mox intempesta mediatrix nocte regressa,  
Callida sopitum delusit et ipsa maritum;



Nam dum sensisset hunc surgere, rus ut adisset,  
Vaginatque dari peteret zonaque ligari,  
Cum solo cultro ueniens, dare nititur ultro.  
Quem uir ut agnoscit, renuens, iam dicta poposcit;  
Venit at illa dolo cum cultro denuo solo.  
Ille tremens ira duo facta per hec sibi mira,  
Iecit in hanc cultrum, scelus hoc ita se ratus ultum.  
Hec, ut texisset, male cesa quod ante fuisset,  
Clamitat absque mora cultrum uenisse per ora  
Vulnus et inpactum fortunae casibus actum,  
Ex inproviso naso labroque reciso.  
Hac specie ueri fit credulus hinc mulieri,  
Insidiis tantis delusus id assimilantis.  
Sic fore fallaces mulieres sicque sagaces  
Sit cunctis clarum tot iniquis artibus harum,  
Nec pro communi uicio te crede uel uni,  
Certa fides oris dum nullis sit uel amoris!

XXVIII. [De uulpe et gatto.]

[C]olloquio pacto uulpes ait obuia gatto:  
"Qualibus utaris, precor, artibus, ut fatearis".  
"Artem saltantum de cunctis calleo tantum;  
Hac" ait, "antique" gattus, "sustentor ubique".  
Cui uulpes inquit: "Quem sic natura relinquit  
Viribus expertem, uelut ipse fateris, inertem,  
Cuilibet est signum non uita credere dignum".  
Annuit hac gattus uulpis racione coactus.  
Quam tamen instigat precibusque referre fatigat,  
Artes quot nosset, quibus aeuum ducere posset.  
"Qualibus? ex centum didici, quas more parentum  
Me bene munitam constat producere uitam".  
"Dignior es uita, tanta, soror, arte potita;  
Me sed, ad omne fere cui cor sit inutile vere,  
Turba canum uillae, properans uenator et ille  
Non modicum terrent, dum sic utrique pererrent".  
"Digne terreris, quia nullius artis haberis,  
In pede, gatte, putem cum te posuisse salutem,  
Pectore prudenti, quod gesto, timore carenti,  
Mille uiis pergens et memet in omnia uergens".  
Dum sic se iactat, socium dum sic male tractat,  
Forte canes idem, uenando per hec loca pridem,  
Sic altercantes dirimunt, super hos inhiantes.  
Protinus haud aequae fugiunt per deuia queque:  
Hic, magis argutus, subit ilicis ardua tutus,  
Illa pererrando, solito deserta meando,  
Cum sibi iam fessae uitae spem credat abesse.

Gattus hic illudens, sibi fatur ab ilice prudens:  
"Artibus, ut reris, de tot, quibus apta uideris,  
Ad te tutandam saltem nunc exhibe quandam.  
Sed solis uerbis iactantibus atque superbis  
Consulitur frustra, mors est ubi debita iuxta".  
Uiribus in uestris qui sic confidere suestis,  
Amodo discatis, ne sic quandoque ruatis:  
Ne contempnatis, minimos quos esse putatis,  
Rebus inoptatis quos sepe ualere sciatis!

XXIX. [De lupo et yrcu.]

EXAGITANS circum, caperet lupo acer ut yrcum,  
Monte sub ingenti subiit; quem, nocte silenti  
Si descendisset, seruabat, ut hunc rapuisset.  
Sed caper ut fontem uidet eminus hunc prope montem,  
Per triduum totum siciens, petit hinc sibi potum.  
Vtque sitis cessit, sub aquas sua lumina flexit,  
Interius spectat, quae cornua cruraque gestat,  
Quanti terroris proluxaque barba sit oris.  
Qua caper innisus fallacis ymagine uisus  
Ac nimis elatus, perhibetur talia fatus:  
"Amodo cuiusquam formidine terrear usquam?  
Terga uel obstanti dabo cuique uel insidianti,  
Cornibus his comptus crurumque uolumine promptus".  
Talia iactantem, sic seque preesse putantem  
Dum lupo audisset, tolerare magisque nequisset,  
Occupat incautum, falsis uirtutibus auctum,  
Hunc ut terreret, dum non procul inde iaceret.  
Cuius premorso letali uulnere dorso:  
"Cur" ait ille fremens, "iactas tot inania demens?"  
"Desine mirari, lupe, me tibi talia fari.  
Denique uulgari solet id sermone probari:  
'Yrcus quando bibit, quae non sunt debita, dicit;  
Cum bene potatur, quae non sibi debita, fatur'.  
Non tamen, oblato necis huius tempore grato,  
Huic fore parcendum ratus est lupo, hunc sed edendum.  
Non ultra uires discant presumere uiles,  
Nec sua non captent, propriis nec uiribus aptent,  
Munere naturae piod non datur his fore iure;  
Curaque sit talis: peragat quis ut id Iuuenalis  
A superis missum se nosse, quod expedit ipsum;  
Fertur ab Argiuis, quod g[n]oti seliton ubiuis.

XXX. [De uulpe et gallo.]

NACTA secus uallum quedam uulpecula gallum,  
Callida rimatur, quibus artibus hic capiatur.  
Multa reuoluenti sedet hec sententia menti:  
Fallat adulando, quem ui nequid, hec sibi fando:  
"Ante per has horas quas uoces quamque sonoras  
Nocte dieque pater dederat tuus, o bone frater!  
Fac igitur signum, rear hoc ut te patre dignum,  
Vt similis patri uideatur uox fore nati".  
Gallus adhortantis prece uictus et hoc simulantis,  
Non metuenda ratus patris, iacit oris hyatus,  
Lumina claudendo, ueluti solet ipse canendo.  
Quod uulpes factum cernens sibi tempus ad aptum,  
Sustulit ignarum, gestans per opaca uiarum.  
Dedecus illud agi uidet omnis ut incola pagi,  
Vulpis in occursum dedit ocus undique cursum,  
Seque sui galli dolet hoc gestamine falli.  
Cuius post dorsum clamatur: "Dic, age, quorsum  
Nostra feratur auis uocis modulamine suauis?"  
Cumque nemus iuxta uulpes sic iret onusta  
Nec per uirtutem putet ales habere salutem,  
Extrahat ut prorsus, quos fixerat in cute, morsus,  
Arte relaxari reputat molimine tali:  
"Non" ait, "audisti, referant quid inaniter isti:  
Plebis hic est nostre gallus, sic raptus a hoste?  
Esse tuum certe decet hunc; fatearis aperte".  
Talia credentis, cadit ales ab ore loquentis,  
Arboris inuentae conscendens alta repente

Seque sui iuris docet esse nec amodo furis.

Sic deluduntur multi, dum uana locuntur,  
Iure suis culpis, paciendo simillima uulpis;  
Sepe solet tales quos fallere prouidus ales.

XXXI. [De leone et mure.]

MVRIBUS in ludum collectis mutuo dudum,  
Causa agit quendam latebram nimis in metuendam,  
In qua, sicut erat solitus, leo forte quierat.  
Cumque uagaretur mus intus, ut egrederetur,  
Ora quiescentis contingit acumine dentis.  
Ille, ferox rictu, factusque ferocior ictu,  
Vnguibus affixit miserum, cui talia dixit:  
"Que tibi sunt uires, me sic ut ineptus adires?"

Cui retulisse ferunt, huc se quod fata tulerunt  
Sponte nec inmissum, sociis sed agentibus ipsum.  
Quem uenia dignum, proprio nec uelle malignum,  
Depositis irae stimulis, leo iussit abire,  
Cum nil posset ei mors illius esse trophæi.  
Recia uenantum, quondam iactata per antrum,  
Hunc tenuere ferum post tempora pauca dierum.  
Cuius clamoris procul hinc sonus editus (h)oris  
Duxit ad hunc ipsum murem, pietate remissum.  
Ille sui captus non inmemor, eius et actus,  
Instat mille modis uinctum dissoluere nodis,  
Vique iuuat dentis prius huic non ultro nocentis.  
Sic succurrendum sibimet sciat et miserendum,  
Alterius culpam quicumque relinquit inultam,  
Curaque sit menti ueniam dare cuique petenti,  
Dum liquet ignarum rerum fore quemque suarum.

XXXII. [De uulpe et ibide.]

INVITATA cibus uulpis fuit artibus ibis;  
Cui liquidas pultes breuiter det ut inuida uulpes,  
Has super inmensum uas spargit et undique tensus;  
Ad quod ut accessit rostrumque famelica pressit,  
Tristior inde redit, delusam se quia credit.  
Sed tempus multum non distulit illud inultum;  
Nuper enim partae cenae non inmemor arte  
Hanc, ut fallatur, secum prandere precatur.  
Ampla lagena foris, spiramine stricta sed oris  
Vulpi plena datur, qua sufficienter alatur.  
Os sed ut admouit, se tandem perfida nouit  
Digne delusam, prius hac dape fraudis abusam.  
Que mox yronice sic fari cepit: "Amice,  
Ecce recepisti bona, quae largita fuisti.  
Si placet, utaris; michi parcere ne uerearis;  
Si dedignaris, ne(c) cuilibet inde queraris,  
Cum non sit clam te, quod talia feceris ante".  
Auribus hec cordis quicumque capaciter audis,  
In te quicquid odis fieri molimine quouis,  
Cuilibet arte mali caueas inferre sodali!

XXXIII. [De ceruo et equo.]

CORNIBVS attingens superos et uiribus ingens  
Ceruus, oberrando per rura, furebat ouando.  
Cuius terror equum, ueritum concurrere secum,

Subdere uenanti se faecit amore iuuandi.  
Cui prece deuota miser indicat hec sua uota:  
"Sic inpune sines per nostros amodo fines  
Hoc errare ferox animal? Tibi dedecus, heros!  
Ille quidem captus, quantis foret usibus aptus!  
Quale tibi cesum iecur ipsius esset ad aesum,  
Quotque parare uales epulas hinc atque sodales!  
Sed prius ostendi placet hec uia, que sit agendi:  
Me super inuectus, iaculo sibi transfige pectus,  
Postque, labore meo sumpto, reuehere tropheo".  
Ille per amfractus subsellia talia nactus,  
Vt capiat ceruum, non cessat flectere seruum.  
Sed uenatoris non inmemor ille furoris,  
Insiluisse datur frutices, ut se tueatur,  
Sospes et intactus siluae munimine factus.  
Viribus effetus nec tanto pondere suetus,  
Alloquitur tandem sonipes se sic equitatem:  
"Pene tuis uictus cum sim calcaribus ictus  
Speque simus predae delusi, iam michi cede,  
Descendensque cito, me uicto turpiter, ito".  
Sensit ut ille dolum metuensque relinquere solum  
Munus id oblatum, quia fit uariabile fatum,  
Increpuisse pecus sic dicitur, arbiter aequus:  
"Vlterius poenis nec habebere liber habenis,  
Nec sessoris eris immunis, vt amodo reris,  
Sumpseris istud (h)onus cum gratis, ad omnia pronus".  
Sic obsistentes plerique, nocere uolentes  
Sunt magis inde sibi peruersa mente nociui,  
Nec dominatoris metuunt se subdere loris,  
Ante manumissi noceant dum quislibet ipsi.

#### XXXIV. [De mulo, uulpe et lupo.]

DVM mulus quidam prope siluam pascitur Idam,  
Nomen ei quod sit, uulpes audire poposcit.  
Respondisse datur, quod bestia uulgo uocatur.  
"Non" ait, "id quero te, sed de nomine uero;  
Quale sit, ignare michi deprecor vt fateare".  
"Nomen id inscriptum speciale, quod est michi dictum  
Tempore primeuo, latet hoc michi sub pede leuo.  
Hoc ibi nactus erit, quisquis sibi di[s]cere querit;  
Curque sit hoc gestum, non sit tibi nosse molestum:  
Matris in occasu, patris egri denique suasu  
Constat id inuentum, ne mox post fata parentum  
Tempus deleret proprium quod nomen inheret;  
Paruus enim pullus fueram sensusque nec ullus,  
Hoc stet ut in mente, priuatus utroque parente".

Illa dolum talem sibi sentit ut exicalem,  
Ingrediens uicum, uidet haud procul hinc inimicum  
Forte iacere lupum quendam secus inuida lutum,  
Mole coartatum famis ac nimis attenuatum.  
Quem nunc ulcisci cum posse locusque sit ipsi  
Illius ad raptum, predae dulcedine captum  
Nititur urgeri sub amoris ymagine ueri;  
Quam dignus pastu sit et illius ammonet astu:  
"Erige te sursum, celer huc et dirige cursum,  
Hic quia prospexi, quod pinguis et optima uesci,  
Digna tuo uictu, sit belua miraque dictu".  
Surgit, ut audiuit, lupus huc et protinus iuit,  
Moxque, quod ignorat, sibi nomen ut indicet, orat.  
Hoc super, ut dixi, respondit prouidus ipsi:  
"Subscriptum leuo pede, primo quod sit ab aeuo,  
Hoc ibi querendum sit semper et inueniendum".  
Nescius hic fraudis tantae, quam quisque subaudis,  
Intima dum spectat, si nomen id ungula gestat,  
Verbere frons crebro fuso crepat icta cerebro.  
Quod dum tale uidet fieri, uulpecula ridet,  
Omnibus infestum merito sic ulta scelestum,  
Presumptor plecti quo debeat ordine recti.  
Qui legit haec, discat, ne tale quid ipse cupiscat,  
In se confisus, per quod sit ad ultima risus;  
Nam nimis est serum, post sumpta pericula, rerum  
Presumptuarum stultum piguisse suarum.

XXXV. [De serpente et uiatore et uulpe iudice.]

MOLIBVS exusta de more palude uetusta,  
Circumseptus ibi draco magnus in aggere limi,  
Per iusiurandum, si se sciat inde leuandum,  
Quicquid habent Mauri, dare se promiserat auri.  
Forte uiatoris foret his dum transitus horis,  
Munere ditari ratus hoc, cor ut optat auari,  
Hunc prius obnixi strictum, ceu iusserat ipse,  
Inpositum redae patria cito sistit in ede.  
Quo sic aduecto, fore ius ait ordine recto,  
Queque spondisset, resolutus ut ipse dedisset.  
Anguis ab antiquo uicio consuetus iniquo,  
Semper et infestus mortalibus, est ita questus:  
"Quid tibi mercedis me posse rependere credis,  
Vinxeris absque modo quem stricto tam male nodo?"  
"Sic te iussisti, cum perfidus ista petisti;  
Nec lamenteris nec sic, ingrata, mineris.  
Hisne tuis mendis mea tot benefacta rependis?"  
Cui tantae liti uulpes conata reniti,

Fertur quesisse, strictus sit qualiter ipse.  
Quem mox artauit, dignum uir ut ipse putauit.  
Vulpes ingratum iubet inmemoremque probatum  
Fortiter astrictum uinclis, quibus est modo dictum,  
Huc fore censendum per eundem mox reuehendum,  
Vnde fuit uectus, limi prius aggere tectus,  
Sicque relinquendum penitusque nec inde mouendum,  
Iudicio ueri dignum satis ista mereri.  
Sic uideas plures, si tale quid amodo cures,  
Sumptis sepe bonis, ingrati more draconis,  
Emolumenta mali cupidos uice reddere tali,  
Tam male deceptos, penam sibi mortis adeptos.

[Epilogus: De ciconia stercorata.]

Commaculare thorum ciconia sueta sororum,  
Dum prohiberetur, ne tale quid adgrederetur,  
Nec cuiusque minis foret huic ad talia finis,  
Cedat ut his causis tam turpiter [h]actenus ausis,  
Pellitur inmite stacionis ab arce potitae.  
Quae sibi fisa parum, petit agmina mox aliarum  
Vtque foret fessae locus hic, instante necesse.  
Quae grauior natu tunc fertur in hoc comitatu,  
Percunctabatur, quapropter id haec paciatur.  
Illa suae sordis stultique non inscia cordis,  
Imputat errori proprio, dum nec monitori  
Credidit, insanum nec et ipsa cohercuit anum.  
Queritur a multis, ibi secum mutuo iunctis,  
Huc si delatum uas hoc foret inmoderatum.  
Qua referente quidem sic esse, iubetur eidem  
Esse reportandum uas illud opusque nefandum  
Atque relinquendum sibi, denuo nec repetendum:  
Amodo sincere secum sic posse manere.  
Taliter obiectis sermonibus his sibi rectis,  
Deserit hunc morem post sumptum iure pudorem,  
Tota mente studens obiecta per hec fore prudens.  
Quod constat multis contingere quandoque stultis,  
Quos monitis blandis a factis ante nefandis  
Prorsus et obscenis cohibet uix suasio lenis,  
Donec eos uerbis uis durior artet acerbis,  
Finis ut erroris sit eis uel causa pudoris.

Tres digiti scribunt, sic totum corpus laborat.  
Finis adest operis, mercedem posco laboris.  
Finiui librum, scripsi sine manibus istum.